



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 2. Admiranda Valliae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

Ad Emporiolum Pensanciam in Cornubia lapis mirabilis iacet dictus *Mainamber*, uno digito mobilis, ad multorum impulsione dūlentes. *Camdenus.*

In Angliæ vico Perruhesire quindecim diebus fons sanguine sic manauit, ut vicinum vadum inficeret. Causam esse puto minium, quod aqua corradens eo inficitur. *Guilielmus Malmesburicensis in Guil. II. Rege.*

In Chilrensi territorio Fontes in frugum fertilitate exsiccantur: si iidem exuberant, certissima frugum penuria denunciatur. *Gyraldus.*

In parte Occidentali Angliæ, in sylua Cornubiæ ligna nascuntur, quæ in aquam missa, licet modica, illicè instar lapidum demerguntur. *Idem Gyraldus.*

In Bathonensi Comitatu ad fluuim Auonem *Anon*, lapidicinæ, in quibus lapides in modum serpentum duæti, & effigiæ, sed plerique capitibus imperfectis. Hos credit vulgus à Britanna virgine S. Keina esformatos, sed doctiores credunt naturæ ludentis opus. *Camdenus.*

### §. 2. *Vallia.*

IN Morganucia è regione *Taffi* Fl. *Baruchus* Insula, in quâ ad mare rupes, & in eâ hiatus ad quem si aurem admoueris, malleorum iactus, folium motus, ferri stricturas quasi in officina ferraria exaudias. Ad quod reuocant quidam dictum Clem. Alex. 6. Stromatum, de speluncâ in Britannia, in quam si ventus incidat audiuntur cymbala numerosè pulsari. *Camdenus.*

In Insulâ *Mona Anglesey*, lapis est humano femori similis, quolibet exportatus reddit in locum suum proximâ nocte. Quod probatum fuit tempore Henrici primi, cum ab Hugone Castrensi vincitus catenis ferreis in mare proiectus, rediit: quare vetitum deinceps ne fieret periculum: sed cum Rusticus id neglexisset, & lapidem illum suo femori religasset, reddit in locum lapis, & hominis crux computruit. *Gyraldus.*

Non procul à Castello Dineucer, in regiuncula *Canterbocan* fons intumescit, & decrescit maris instar. *Gyraldus.*

Prope *Sabrina* ostia stagnum est, indigenæ *Linligunam* vocant, quod sorbet marinos fluctus dum æstus assurgit, iis tamen nullo-

Hh

modo repletur. At dum detumescit æstus, tum magno cum impetu exsurgens, & ripas aquis cooperiens easdem eiaculatur & reuomit. Quod sequitur plane fabulosum. Si quis tunc temporis versâ facie ad stagnum staret, periculum adiret: verso tergo irroratio periculosa non est, etiam si in ripâ consisteret. *Galfridus Monumethensis.*

Ad oppidum *Halinelam* fons S. Venefridæ dictus muscum oderiferum gignit, quo multi morbi sanantur: hæc virgo pro castitate cæsa est in eo loco. *Robertus Abbas Salopiensis.*

### §. 3. Scotia.

**I**N eâ regione totâ mus maior nullus conspicitur, nec aliunde exportatus, hîc viuere potest. *Hector Boëthius.*

Hic arbor cuius fructus in mare cadentes magnâ ex parte mutantur in volucres, quas *Klakis* indigenæ vocant. *Leslaus in Chronico Scotie.*

In montanis partibus Scotiæ vulpium perniciem sic rustici solent amoliri. Miscent vulpeculæ carnem cibis animantium, quas vulpes infestant; quæ gustarunt hunc pastum duos propè menses à vulpibus illæsæ errant, quod si qua pastum illum non gustarit à vulpe inter cæteras feligitur. *Boëthius.*

Hic lupi armentis infensissimi, & gregibus, præterquam in valle *Angusie*, dicta *Glemmores*, ubi domestica animalia non attingunt, sed tantùm ferarum prædâ visititant. *Idem Boëthius.*

In *Merchia*, volucres dictæ vernaculè *Gustardes*, colore perdicis magnitudine anseris, nudâ humo oua deponunt: ea si homo contrectarit, aut halitu imbuerit ( quod statim sentiunt ) relinquunt, ut parum idonea ad pullos educendos, & aliò se conferrunt, ut noua pariant. *Hector Boëthius.*

Duobus millibus passuum ab *Edimburgo*, fons scaturit cui olei guttae innatant: eas si exemeris alix substituantur, si nihil abstuleris non apparent plures. Hoc oleo vtuntur indigenæ ad cutem molliendam, & tollendam scabritiem. *Idem.*

Lacus & fluuius *Nessa* reliquis aquis hîc concrescentibus frigore nunquam congelatur: sicut nec media pars lacus *Myrtoùn*, cum altera pars omnino concrescat. *Idem Boëthius.*

In *Caricta* regione Boum adeps non concrescit, sed olei ad